

**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

§. III. A quo tempore Consuetudo est pars Juris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

II. Dicitur ab eodem pro Lege suscipi, cum Lex deficit. *ibid.*

III. Idem annumerat inter Legis conditiones, quod sit juxta Patriæ Consuetudinem. Quod partim proponit, ex eo quod Consuetudo pro Lege habeatur. C. 2. DIST. IV.

IV. Conferunt infinitis in locis cum aliis Juris Partibus, diciturque servanda ut Lex. C. 5. 6. 7. DIST. XI.

V. Docet JUSTINIANUS diuturnos Mores, qui idem sunt ac longa Consuetudo, vim Legis habere. C. 6. DIST. XII.

VI. Revocari jubet Idem, quod fit contra longam Consuetudinem. C. 7. d.

VII. CAROLUS MAGNUS ita agnoscit, Consuetudinem esse Juris Partem, ut Populos sibi subditos distinguat in eos, qui Lege, & eos, qui Consuetudine reguntur. C. 37. CAUS XI. QUÆST I.

VIII. Quod à Generali Ecclesiæ Consuetudine est alienum vitandum est. C. 11. 12. DIST. XII.

§. II.

Quare Consuetudo sit Pars Juris?

R E G U L A.

Non alia habentur in Canone circa hunc §. quam ista.

I. Si Consuetudini suffragetur veritas, nil firmius retineri oportet, quia nil melius servatur. C. 7. DIST. VIII. §. Hoc.

II. Consuetudinis Ususque longevi non vilis est autoritas. C. 4. DIST. XI. C. 9. *De Consuetud.*

III. Si Consuetudines nihil astimamus, hinc multum detrimenti Religio feret. C. 5. *Ead. DIST.*

Consuetudo pertinet quoque ad Jus, prout est Juris interpretatio, est enim optima Legum Interpres. C. 9. de Sepult. C. 8. de *Confuet.* eaque interpretatio praefertur ei, quæ ex verborum propriâ significacione petitur. FAGNAN. in C. 12. de *Judic.* n. 87.

§. III

A quo tempore Consuetudo est Pars Juris?

R E G U L A.

Consuetudo est Juris Humani Pars antiquior. §. 1. Verò *Confuet.* paulò ante initium. DIST. VII.

RATIO GRATIANI, ex quo REGULA defumitur, hæc est; A quo Homines simili habitare cœperunt, quod accidit statim ac Civitas à Cain adficata est, Consuetudine regi etiam cœperunt, Leges autem ab iis longè posterius conditæ sunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Consuetudinis Naturâ.

Secundi Puncti duplex est sensus, nimirūm. 1. Quid significet hæc vox, *Consuetudo*, & 2. Quid sit Res hæc vox significata; ideoque in duos §. dividetur.

§. I.

Quid significet hæc Vox, Consuetudo?

R E G U L A.

Nil aliud in Canone circa hunc §. quam istud, legitur.

Vocatur Consuetudo Quod in Communi est usu. C. 6. DIST. I.

§. II.

Quid sit Res Nomine Consuetudinis significata

R E G U L A.

Hoc unum docet Canon circa hunc §.

Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex. C. 5. DIST. I.

PUNCTUM TERTIUM.

De Consuetudinis Divisionibus.

§. I.

Quotuplex sit Consuetudinum Divisio?

R E G U L A.

Quadruplex tantum ex Canone insertur Consuetudinom Divisio.

I. Consuetudo est scripta, vel non scripta. C. 5. DIST. I.

II. Consuetudo est ex se bona, vel mala. C. 6. DIST. IV. C. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

III. Consuetudo est ex se nec bona, nec mala. C. 11. DIST. XII.

IV. Consuetudo est vel Generalis, vel Particularis. C. 12. 13. DIST. XII.

Prætermittitur Quinta Divisio Consuetudinis, in illam, qua est contra Jus, & illam, qua est præter Jus, quia de illa non fit expressa Mentio in Canone: Posterior est ea, que versatur circa Res nullæ Lege præcepta, nec veritas: illius meminit GONZALEZ in C. 1. de *Confuet.* n. 11. necnon discriminis inter utramque, quod caret fundamento in Jure.

Idem sit de Divisione in Consuetudinem, quæ excedit memoriam Hominum, & eam, quæ non excedit, quia hæc Circumstantia est merum accidens, quod cuique præfatarum specierum Consuetudinis convenit, cum nulla sit, quæ immemorialis esse non possit, idèque notaſe sufficiet, quod ea, que huic pecularia sunt, colligit FAGANUS variis locis, sed præcipue in Cap. 1. de *Consuetudine* à n. 49. usque ad finem C. 4. ibid. n. 33. & 36. C. 4 de *Relig. Dom.* n. 34. C. 14. & 27. de *Jure Patr.* nempe, eam habere vim Titiuli, seu Privilegii, nisi sit ex illis, quæ à Jure exp̄s̄e probantur, vel Personæ sint incapaces Rei, de quâ agitur: hinc Canones Derogantes Consuetudini addunt quandisque hæc verba, *etiam immemorialia*.

PUNCTUM QUARTUM.

Quid cuique Consuetudinum generi conveniat.

Puncti IV. tot sunt Partes, quot Consuetudinum genera.

§. I.

De Prima Consuetudinum Divisione.

S E C T I O I.

R E G U L A.

Nil aliud docet Canon circa Primam Consuetudinis Divisionem, quam istud.

Non differt, an Consuetudo Scripturâ, an Ratio confitit; unde GRATIANUS merito infert, Consuetudinem aliam esse scriptam, aliam non scriptam, sed non recte judicat, scriptam idem esse ac Constitutionem, cum ista exp̄s̄e fiat, ab Habente potestatem condendi Legem; Consuetudo verò à Subditis flatus.